

F I L I V S <sup>29</sup>

VIVA IMAGO

Paternæ Pietatis, & Gloriæ!

ID EST

D. STEPHANUS

UNGARIÆ REX,

PIISSIMI ET GLORIOSISSIMI PARENTIS

GEISÆ.

*Sanctæ propagandæ Religionis Christianæ studia profecuturus,*

*Sub ipsi Regni primordiis in ætate adhuc tenera, ejectis ex tota Ungariæ*

*Christiani Nominis Hostibus*

*Clarissimâ Victoriâ Triumphans.*

*Dicatus*

SERENISSIMO REGI VNGARIÆ

JOSEPHO I.

AVGVSTISSIMARVM CÆSAREARVM REGIA-  
RVMQVE MAJESTATVM

LEOPOLDI I.

ET

ELEONORÆ;

Pietatis non minùs & Regnorum, quàm Victoariarum,

in tenera itidem ætate per eandem Ungariam

HÆREDI GLORIOSISSIMO.

Dum Regiâ munificentâ bene meritis de re literaria, primo Coronationis

Anno, in Regia Urbe Pofonii Præmia largiretur.

*In Scenam datus*

A Gymnasio Pofoniensi Societatis JESU.

*Mense Septembri, Die 21.*

ANNO QVO Vngaria Inter glorioſas VICTORIAS otto-Mannæ

tyrannIDI eXtorta fVIT.

*Musices Compositore D. Ferd. Tobia Richter, Sac. Cæs. Majest. Cam. & Aula Organista.*

Tyrnaviæ Typis Academicis, per Joannem Christophorum Beck,

# ARGUMENTUM.



*Urea Regni sacula in Coronato nuper Serenissimo Rege Vngariae JOSEPHO I. sub schemate D. Stephani è Theatro vaticinabamur, nunc eventus ipse in liberatis illicò post Coronationem à jugo Turcico celeberrimis per Vngariam Urbibus, tam claras nobis Pietatis & Gloria. Parallellas in eodem Divo Stephano. ceu digito demonstrat, ut nefas censeamus alio, quam quod damus Argumento, Serenissimis Laureis, ad ipsum Regni exordium de Ottomanico relatis hoste, applaudentes in Scenis Musas occupare.*

*Vix alterum ingressus Regni Annum est Stephanus, & illicò non minùs dignam se progenitoribus Prolem, quam caelestibus vaticiniis parem probavit: nam at aris annum non nisi decimum quartum agens, tam strenuè per Vngariam augere rem Christianam cepit, ut impletum fuerit vaticinium, quod per Angelum Geysa Patri, & Matri Ascolte per Proto-Martyrem Stephanum promissum erat, nempe quòd per Filium Christi Fides in universo Regno Vngariae stabiles radices actura sit, in quod piissimi Parentes unicè desudabant. Cùm enim Pagani per Stephanum superstitionem suam patriosq; Deos funditus everti viderent, in apertum bellum contra Sanctissimum Regem eruperunt. Opponit & Stephanus militem suum furentibus Gentilibus, nixusq; foederibus cum Christianis Principibus ad id initis. A Pazmano & Hunie in Castris ad Garam amnem positis spectante milite, ut belli pro Christi Fide suscepti Imperator solenniter gladio praeingitur. Suprema expeditionis moles demandatur à Rege VVencellino, belli Dictatori, conferuntur signa cum hostibus, nuntiat initio Regis acies. Verùm ubi sanctis Precibus & Votis DEO nuncupatis Caelum impugnare Stephanus cepit, mox insigni VVencellini facinore Cupa Calvio Simigensium Duci, & hostilium copiarum Imperatori caput amputatum est. Milites quoq; Regis à Stephani Legionibus percussantis adhortationibus, ita firmatus, ut ingenti clade Paganis illatà, eam obtinuerit Victoriàm, quã tota Vngaria, excisà omni penitus Gentilium superstitione, Christo ex integro asserta fuit. Ita Bonfinius Rerum Ungaricarum Decade 2. cap. 1. Inchoffer Annal. Ecclesiast. Regni Ungar. ad Annum Christi 999. Chartuitius in Vita S. Stephani. Joann. Thurocius,*

PRO-

# PROLOGUS.

**H**ercules Jovis & Alcmenæ filius, post laceratos in cunabulis angves, cōsveto Junonis odio vix paululum annis progressus, in Lucum Dianæ, seu Lunæ monstris refertum astu deducitur; verum ille licet parvulus adhuc, tamen jam Hercules, monstra non tantum perimit, sed & memor se Jovis & Alcmenæ filium esse, everfis Lunæ insignibus, ferales quoq; cupressos excindit, quæ in laureatas Ungariæ cruces, emergentibus ex Arborum radicibus, & ad pedes Victoris confidentibus, celeberrimis Ungariæ Urbibus, post Coronationem Serenissimi Regis Josephi Ottomanæ Tyrannidi extortis vertuntur: Moxq; omnia in Aram Gloriæ triumphanti Herculi Austrico, plaudentibus periculi sociis coalescunt.

## ACTUS PRIMUS.

### SCENA I.

**G**entiles contra Stephanum arma sumpturi dissident, an Imperatorem belli Cupam Simigiensium, an Gyulam Transylvaniae Ducem eligant; sed ope Bulgarorum & Græcorum Cupas prævalet, Gyula rejicitur Stephani Avunculus. Quem tamen idem Sanctus Rex, alterâ expeditione bello pariter superatum, cum Transylvania Christo subjugavit.

### SCENA II.

**C**upa supervenit consilio: & ut fraudem tegat, quod per subornatos à se Bulgarorum & Græcorum Legatos ad summum armorum Imperium evaserit, fictè tantum onus recusat; sed simulatè invitus, à suis tamen ad id cogitur.

### SCENA III.

**B**ulgarorum & Græcorum pari cum Cupa superstitione laborantium Legati (eò quod à Basilio & Constantino Imperatoribus Orientis, apud suos quoq; Gentiles premerentur) cum Cupa & ejus Asseclis fœdus contra Basilium & Constantinum perunt, & open vicissim contra Stephanum offerunt: donoq; (Sic ab eodem instructi, ut suos animaret.) Cupæ Martis vexillum & clypeum deferunt; certoq; augurio bellum cum Stephano unicâ die finiendum spondent; quod & factum, sed contrariò à spe facta exitu.

### SCENA IV.

**C**upas vicissim ut in Asseclis idolorum suorum zelum accenderet, in pignus fœderis initi, sertum Victoriæ Bulgaris, & hastam Zeutæ (quem cum Diceneo, Zamolxi & Camosuco inter Deos ob rei bellicæ prudentiam relatos credebat, & post Martem, & Uxorem ejus Victoriam, unicè colebat) remittit. Verus quoq; Gradii addit oraculum, quod mirè triumphaturæ sint copiæ, quæ vexillum, clypeum, hastam, & ensen hujus Dei simul habuerit. Id quod suis nunc accidisse plaudit, & hâc arte suos egregiè animat pro Idolis contra Christum. Bulgaris parem Victoriâ spondet, quos tamen deinde & Stephanus, & Basilius geminis cladibus internecione deleverunt.

SCENA V.

**C**elius Sylvestri II. Romani Pontificis, Ansfaldus Ottonis III. Imperatoris, Tyrander Henrici Noricorum & Bojorum Reguli, ac postmodum Imperatoris, & per Sororem Gyselam in Matrimonium datam Stephano Affinis, Ochius Mieceslai Polonorum Ducis Legati, suadent Stephano, ut mature periculo se subducatur, donec auxiliares copiarum, quas promittent, adessent, hostiumque vires exagerant, & exiguas Stephani copias, ad resistendum impares ostendunt.

SCENA VI.

**S**tephanus advertens Legatorum consilia oriri à suorum terrore aliquo, citat ad consilium Proceres; sed cum & hi ad tempus recessum suaderent, eos blandè corripit, quòd vires à numero, non auxilio DEI metiantur; & quia innocens Christianorum sanguis, per quotidianas Clades ab infidelibus illatas acerbè mitissimi Regis animum pungebat, contra omnium opinionem mandat Wencellino, ut propius in hostem Regias copias promoveat.

SCENA VII.

**A**stricus Abbas Vir magnæ Sanctitatis, & primus deinde Archi-Episcopus Colocensis, qui demùm & Archi-Episcopatum Strigoniensem administravit, inter orandum pro Stephano videt ex everforum per Paganos Templorum, ac Altarium ruderibus, copiosas Ecclesias, aras, ac mitras decem (nempe quas unà cum decem Episcopatibus post victoriam Stephanus fundaverat) renasci; deceptus tamen, quòd ea res nascentem per id tempus in Polonia Fidem Christi (dum eadem in Hungaria crederetur excindenda) significet, irritos pro Christo labores Stephani deplorat.

CHORUS PRIMUS.

**A**scanius admodùm tener Patrem pium Æneam non modò in omnibus, ut viva imago exprimens, quemadmodum & Virgilius canit: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat*, sed in obtinenda quoque; pro sede stirpis Italia, labores ferre juvans constantissimè, pro Apollinis ac Veneris in paternum stemma favore, scintillam ardente Troja, sine ulla læsione in figuram coronæ in capite alit. Æneâ Patre flammam excutere, conante, rem deprecatur Filius Ascanius; eò quòd ut Patris virtutem æmularetur, sit flamma Filio merito ferenda, cum tulerit incendia Pater. Moxque; auditur oraculum ad flammæ augurium, Ascanio longum & felix Regnum à Superis destinatum. Quod & factum; extincto enim Turno, 38. annis Ascanius felicissimè rexit, non minùs Paterni laboris, quàm Gloriae Hæres, & Æmulus locupletissimus.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

**M**arufus Ariolorum Antistes, more Gentis Marti reliquisque; Diis, Christianorum sanguinem inter alias victimas immolans videt in Hostiarum intestinis (ex quibus auguria bellorum sumebantur) equi-

equitem de Dracone Victorem, & pone Præsulem venerandum, utrumq; tor-  
vo vultu, laureas tamen manu gestare; omen victoriæ suis vociferatur, igna-  
rus triumphi, quem sub Divi Martini, ac Georgii Patrocinio mox de Cupa  
obtenturus fuerat Stephanus.

*SCENA II.*

**D**Um Gentiles cædibus in Christianos desæviunt, Cupas tam fortunato  
augurio inflatus, circumducto more gentis per Turmas hostili san-  
gvine cruentato Martis gladio, pugnam indicit; sed evanescit ex  
gladio repentè sangvis. Marusius id interpretatur, ut pugnam acceleret Cu-  
pa, nè per hostis recessum occasionem victoriæ negligat.

*SCENA III.*

**S**tephanus amorosè crucifixo queritur suam suorumq; calamitatem, sed  
audit vocem, ut pro patiente Christo & ipse cum suis patiatur aliqua,  
si verè amaret. Hæc voce ad mortem pro Christo obeundam unà cum  
suis se præmoneri autumans Stephanus, inter amorem, quo pro Christo mori  
cupiit, & dolorem quòd fidem secum in Hungaria extingvendam credebat,  
acerbè luctatur. Et cum, cui Regnum legaret, Christianum non haberet inter  
sanguine junctos, id legat Beatæ DEI-paræ, & magnam Ungariæ Dominam  
scriptis tabulis renunciat.

*SCENA IV.*

**A**Stricus partim à Legatis confæderatorum Principum, partim ab Auli-  
cis inductus, exponit ultimum vitæ discrimen Stephano; eò quòd ho-  
stes Regiæ personæ undiq; infidentur, & recessum suadet. Steph-  
anus fingit se suorum consiliis assensurum, at ostendit suis effigiem Patris Geysæ  
& Matris Ascoltæ, sciscitans an eam noscerent? affirmantibus Proceribus, re-  
spondet Stephanus, ut meminerint se illorum esse Filium, nec se degenerem  
esse velle, turpi fugâ in causa Fidei: sequerentur proinde secum castra, quicun-  
q; aut Stephani, aut Christi amantes forent.

*SCENA V.*

**D**Um Wencellinus fixis ad Garam amnem Regiis castris, præclarè suo-  
rum animos erigit, ob cæsos non finè clade velites regios, omnia ite-  
rùm consternatione turbantur. Cassupius Tribunus Regius amissis  
suis, reversurus tutius ad castra, rusticas vestes induit, abjectis pretiosis.

*SCENA VI.*

**W**encellinus advertens consternationem suorum, ut cladem rependat,  
emittit suorum alios, qui sub vestitu hostili castra viresq; Cupæ  
explorent, captò aliquò ex hostibus. Marojus, cui executio demandata erat,  
incidit in latentem inter vepres Cassupium: & cum neutra pars alteram ob  
vestitum simulatum nosceret. Marojus Cassupio tanquam exploratori Regionū  
Castrorū, ex nimia vindictæ cupiditate oculos eruit, & ad Wencellinum mittit.

*SCENA VII.*

**S**tephanus ad Castra venit, Huntem, Cencium & Orthium Legionibus  
præficit. Wencellinum supremum belli Dictatorem nominat, & ab  
Hunte

Munte ac Pazmano in conspectu Exercitus tanquam Imperator Christianus belli pro causa DEI suscepti, gladio sacro solenniter accingitur, more aliorum Christianorum Principum.

SCENA VIII.

**M**arojus occisi ab hoste ( ut putabatur ) Cassupii vestes ad Castra Regia defert : Cassupium Wencellino sistit. Cassupius à Cupa se interrogari autumans , dum ex eo Wencellinus de robore hostium sciscitabatur ; ait suos quidem numero paucos, at animis fortes esse ( Regios nimirum intelligebat, ) nec aliquorum curari consternationem , quo felici errore mirum eriguntur omnes in castris Regiis.

CHORUS SECUNDUS.

**Q**uod impia superstitio in Pietatem Austriacam pugnans, Tyrannide sua sibi tandem ipsi perniciem cudat, in Gygantibus bellum Diis intentare ausis, & fulminibus, ac diluvio, exterminatis ostenditur. Victoriæ Sirenes lætis vocibus applaudunt.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

**C**upa tripudiis per Regia Castra ob adventum Stephani & responsum Cassupii auditis, vel suorum cædem, vel auctas Regis vires ex eo suspicatur, & instructâ acie contra Regios properat.

SCENA II.

**P**rimæ Cupæ Turmæ, Stephani excubias extra Castra obruunt, & capiunt ; ex illis Cupa intelligit Stephanum ad Castra venisse ; ille ratus, quod Stephanum cum suis jam devorârît, suos mirè animat, quod ea sit dies, quam insignis Victoriæ contra Regem clausura esset.

SCENA III.

**I**nchoatur Pugna, nutant, ac cedunt Regii ; sed ad Stephani adhortandi miram efficaciam, videntes inauditam Regis erga læsos ( quorum ipse ligabat osculabaturque, qui pro Christo excepta vulnera ) charitatem, restaurant ordines.

SCENA IV.

**W**encellinus advertens à cornu, in quo pugnabat Cupa, ob Ducis ( qui exemplo & voce suos animabat ) præsentiam, vehementiorem in Regios impressionem urgeri, hostilem perumpit aciem, ad Monomachiam secum Cupam cogit, feliciterq; insolito facinore amputat caput æmulo, & confusis hostibus ad suos revertitur.

SCENA V.

**D**um Stephanus de clade suorum gemit, habet nuncios de triumpho, nam suos cedere videns, ad DEUM, Sanctosq; Patronos Martinum & Georgium, suppliciter de genibus confugit. Vota iterat Basilicas extruendi, Christumq; propagandi, si vinceret ; & eodem penè momento cælum

cælum & hostes expugnat. Tantâ enim clade cædit profligatq; Gentiles, ut unâ victoriâ, Ungaria tota Christo asserta fuerit.

SCENA VI.

**D**uces Regii victoriam Stephano applaudunt, sed is quasi gladium è vagina educturus è paludamento Crucifixum extrahit, & huic, non sibi Triumphum in acceptis referri jubet, caniturq; per omnes Legiones, Exercituum DEO latis vocibus in gratitudinem honor & gloria.

EPILOGUS.

**M**Ars & Pallas amore Serenissimi Regis Mecœnatis capti, reciprocum ejus in se amorem sibi invicem præripere conatur. Mars gloriam cum aureo gladio, Pallas Sapiëntiam cum aureo calamo submittit, ut Regium animum infascinent. Sed quia & gladius & calamus vim parem fascinandî habuit, ad primum contactum inseparabili nexu coalescunt. Amor hoc videns, aureâ catenâ vincit, & Martem & Palladem, victosq; tradit Serenissimi Mecœnatis Genio; qui dum inter has lites evigilat, litem dirimit, atq; ex una parte triumphantes exercitus Marti, ex altera plaudentes Musas de præmiis munificentissimè collatis, ostendit Palladi; & sic parem in utramque partem, amorem probat, & mox inter utriusq; partis plausum, & Calamo, & Gladio Augustus pro Throno Gloriae Jovis Aquilæ imponitur.

NOMINA ACTORUM.

*S. Stephanus.* Comes Petrus Zichy, Ungarus Posoniensis, Poëta.  
*Genius Serenissimi Regis Mecœnatis.* Com. Ladislaus Zichy, Ung. Poson. Grammat.  
*Eupus.* Ignatius Maholany de Pochroncz Szelepsény, Prænob. Ungar. Rhetor.  
*Wencellinus.* Josephus Antonius Cetto, Nobilis Austriacus Viennensis, Rhetor.  
*Altricus Abbas.* Antonius Horos, Zachorienfis Rhetor, S. Emerici Ducis Ungar. Alumnus.

Duces S. Stephani.

*Hunter.* Comes Paulus Zichy, Ungarus Jaurinensis, Rhetor.  
*Pazmanus.* Comes Stephanus Zichy, Ungarus Jaurinensis, Syntaxista.  
*Orthius.* Andreas Horvath Kistevith, Nob. Ung. Caffovienfis, Syntax.  
*Cencius.* Joannes Berény, Ungar. Jaszbereniensis, Rhetor.  
*Casupius.* Leopoldus Koller, Nob. Ungar. Rustensis, Poëta.  
*Majorus.* Antonius Leopoldus Czauner, Civis Ung. Poson. Syntaxista.  
*Talmirius.* Gregorius Szalay, Nob. Ungar. Poson. Parvifita.  
*Velabius.* Joannes Paumaster, Nobilis Austriacus Fischeminensis, Principifita.  
*Buffius.* Joannes Ignatius Blaskovich, Nob. Ungar. Posonienfis, Syntaxista.  
*Carutius.* Franciscus Siber, Nob. Austriacus Viennensis Grammatifita.

Legati ad S. Stephanum.

*Celius Legatus Pontificis Sylvestri II.* Joannes Szent Gothardy Nob. Ungarus Rosnyovienfis, Poëta. S. Emerici Ducis Ungar. Alumnus.  
*Ansfaldus Legatus Caf. Ottonis III.* Paulus Mednyansky, Nob. Ung. Poson. Poëta.  
*Tyrander Legatus Henrici Ducis Bojorum & Noricum.* Joannes Kis, Ung. Posonienfis, S. Emerici Ducis Ungar. Alumnus.  
*Legatus Micselai Ducis Poloniae.* Emericus Midnyansky, Nob. Ungar. Posonienf. Poëta.

Legati

### *Legati ad Cupam.*

*Murimbas Legatus Bulgarorum.* Laurentius Pecz, Ung. Jaurinensis, Poëta.  
*Ximones Legat. Grecorum.* Ladislaus Bartakowicz, Nob. Ung. Tyrnav. Poëta, S. Emerici  
Ducis Ungar. Alumnus.

### *Duces Cupæ.*

*Volmajus.* Mathias Szenczy, Ung. Szempczenfis, Rhetor.  
*Belmo.* Stephanus Cserko, Nob. Pannon. Holicifienfis, Rhetor.  
*Altrosindus.* Franc. Petrus Radvany, Nob. Coñar. S. Emer. Ducis Ung. Alumnus.  
*Harjantes.* Joannes Szany, Civis Ung. Szanyenfis, Syntaxista.  
*Kalmantor.* Joannes Ignatius Blaskovith, Nob. Ung. Pofonienfis, Synt.  
*Zaloccus.* Stephanus Nafzvadi, Nob. Ung. Köpcsenienfis, Synt.  
*Tarbio.* Georgius Zajchich, Nob. Croata Pandorffenfis, Rhetor.  
*Raufanus.* Joann. Emeric. Machovics, Nob. Pannon. Egbelienfis, Rhetor.

### *Arioli.*

*Maruffius.* Andreas Liezkowszky, Nob. Pannon. Synt.  
*Imaris.* Sigismundus Faber, Civ. Ung. Cremniczienfis, Synt.  
*Eidimas.* Andreas Silczy, Pannon. Pernekienfis.  
*Marna.* Michaël Tankovicz, Nob. Ung. Pofonienfis, Parvifia.  
*Duschas.* Stephanus Humora, Civ. Pannon. Tyrnav. Poëta.

### *Geniæ Episcopatum à S. Stephano fundatorum.*

*Archi-Episcopatus Sirigoniens.* Com. Adamus Ladisl. Erdödy de Monyorokerék, Ung. Princ.  
*Archi-Episcopat. Colocens.* Com. Georgius Erdödy de Monyorokerék, Ung. Parvif.  
*Episcop. Agriensis.* Mathias Szalay, de Szalapoch, Nob. Ung. Pofon. Parvifia.  
*Episc. Vefpriniensis.* Franc. Mednyanszky, Nob. Ung. Pofon. Parvifia.  
*Episc. Vacienfis.* Ignatius Pongracz, Nob. Ung. Pofon. Parv.  
*Episc. Chanadiensis.* Joannes Vitnedý, Nob. Ung. Pofon. Parv.  
*Episc. Jaurinensis.* Georgius Korlatköy, de Labs, Prænob. Ung. Krasznenfis. Parvifia.  
*Episc. Varadiensis.* Adamus Bakfai, Nob. Pannon. Szotienfis, Princ.  
*Episc. Quinæ Eccles.* Antonius Amade, Lib. Baro Ung. de Varkony, Parvifia.  
*Episc. Sirmienfis.* Franciscus Potmar, Nob. Ung. Pofonienf. Parv.

*His accedunt Christiani à Gentilibus in odium Fidei casti, Tribuni, Decuriones  
captivi, & Exploratores.*

## CHORI MUSICI.

*Turnus.* Reverendus Dominus Gelafius Engel, Franco.  
*Mars.* D. Franciscus Ferdinandus Richenauer, Styru, Pöllenfis, AA. LL. & Phil. Baccal.  
*Apollo.* D. Josephus Jaur, Auftriacus.  
*Juno & Pallas.* D. Maximilianus Franciscus Hawlowetz, Moravus.  
*Hercules & Ascanius.* Joannes Puechfetter, Bavarus, Parvifia.  
*Venus & Sapientia.* Mathias Scherr, Auftriacus Tulnenfis, Grammatifia.  
*Fortuna.* Franciscus Welzer, Ungar. Eysenstadienfis, Principifia.

O. A. M. D. G.